

Textdossier (1)

1. *Aur. Vict. Caes. 40.26*

... Adhuc cuncta opera, quae magnifice construxerat (sc. Maxentius), urbis fanum atque basilicam Flauii (sc. Constantini) meritis patres sacrauere.

2. *Chronogr. 354, p. 148.32 Mommsen*

Maxentius imp. ann. VI. hoc imp. templum Romae arsit et fabricatum est.

3. *CIL 6.102*

[Deorum C]onsentium sacrosancta simulacra cum omni lo[ci totius
adornatio]ne cultu in f[ormam antiquam restituto] / [V]ettius Praetextatus u(ir)
c(larissimus) pra[efectus u]rbi [reposuit] / curante Longeio [. . . u(iro)
c(larissimo) c]onsul[ari . . .]

4. *CIL 6.937*

Senatus populusque Romanus
incendio consumptum restituit

5. *CIL 6.1200*

Optimo clementiss[imo piissi]moque
principi domino n(ostro) F[ocae imperat]ori
perpetuo a d(e)o coronato [t]riumphatori
semper Augusto

Smaragdus ex praepos(ito) sacri Palatii

5

ac patricius et exarchus Italiae

deuotus eius clementiae

pro innumerabilibus pietatis eius

beneficiis et pro quiete

procurata Ital(lia) ac conseruata libertate

10

hanc sta[tuam maiesta]tis eius

aure splend[ore fulge]ntem huic

sublimi colu[m]na[e ad] perennem

ipsius gloriam imposuit ac dedicauit

die prima mensis Augusti indict(ione) und(ecima)

15

p(ost) c(onsulatum) pietatis eius anno quinto

6. *Curiosum Urbis Romae [= Notitia <Regionum>] p. 91.11-15 Nordh*

Portam trigeminam.
 Apollinem caelospicem.
 Herculem oliuarium.
 Velabrum.
 Arcum [diui] Cons tantini.

7. *Jordan, Topographie, I/2 (1885), 472, n. 43*

ÓKΩΝCTANTINO C Ó eAeKEÑNINII C

8. *CIL 6.701/702*

Imp(erator) Caesar diui f(ilius)
 Augustus
 pontifex maximus
 imp(erator) XII co(n)s(ul) XI trib(unicia) pot(estate) XIV
 Aegupto in potestatem
 populi Romani redacta
 Soli donum dedit

5

9. *CIL 6.1163/31249*

Patris opus munusqu[e suum] tibi Roma dicauit
 Augustus [toto Constan]tius orbe recepto,
 et quod nulla tulit tellus nec uiderat aetas,
 condidit, ut claris exa[equ]et dona triumphis.
 hoc decus ornatum genitor cognominis urbis
 esse uolens caesa Thebis de rupe reuelli.

5

sed grauior diuum tangebat cura uehendi,
 quod nullo ingenio nisuque manuque moueri
 caucaseam molem discurrens fama monebat.
 at dominus mundi Constantius omnia fretus
 cedere uirtuti terris incedere iussit
 haut partem exiguum montis pontoque tumenti.

10

credidit et placido [uexerunt aequora flu]ctu
 litus ad Hesperium [Tiberi] mirante carinam.

interea Romam ta[et]ro uastante tyranno
 Augusti iacuit donum studiumque locandi,
 non fastu spreti, sed quod non crederet ullus
 tantae molis opus superas consurgere in auras.

15

nunc ueluti rursus ruff[is] auulsa metallis
 emicuit pulsatque polos – haec gloria dudum
 auctori seruata suo cu[m c]aede tyranni
 redditur, atque aditu Ro[mae ui]rtute reperto
 uictor ouans urbiq[ue locat sublim]e tropaeum
 principis et munus cond[ignis us]que triumphis.

20

13 [vecta est velocius Euro]: *alii*

14 [populo] *vel* [Thybri]: *alii*

23 urbiq[ue fauens ex host]e: *Bücheler*

24 cond[it decorat]que: *Bücheler*

10. Amm. 16.10.17; 17.4.1f, 6-8, 12-15

multis igitur cum stupore visis horrendo imperator in fama querebatur ut invalida vel maligna, quod augens omnia semper in maius erga haec explicanda quae Romae sunt obsolescit; deliberansque diu, quid ageret, urbis addere statuit ornamentis, ut in maximo circo erigeret obeliscum, cuius originem formamque loco competenti monstrabo.

<...>

17.4.1 Inter haec recreandarum exordia Galliarum administrante secundam adhuc Orfito praefecturam obeliscus Romae in Circo erectus est Maximo. super quo nunc, quia tempestuum est, pauca discurrat. (2) urbem priscis saeculis conditam, ambitiosa moenium strue et portarum centum quondam aditibus celebrem, hecatompylos Thebas institutores ex facto cognominarunt, cuius uocabulo prouincia nunc usque Thebais adpellatur.

<...>

(6) In hac urbe inter delubra ingentia diuersasque moles figmenta Aegyptiorum numinum exprimentes obeliscos uidimus plures aliquosque iacentes et comminutos, quos antiqui reges bello domitis gentibus aut prosperitatibus summarum rerum elati montium uenis uel apud extremos orbis incolas perscrutatis excisos erectosque diis superis in religione dicarunt. (7) est autem obeliscus asperissimus lapis in figuram metae cuiusdam sensim ad proceritatem consurgens excelsam, utque radium imitetur, gracilescens paulatim, specie quadrata in uerticem pro-

ductus angustum, manu leuigatus artifici. (8) formarum autem innumeras notas, hieroglyphicas appellatas, quas ei undique uidemus incisas, initialis sapientiae uetus insigniuit auctoritas.

<...>

(12) Et quia sufflantes adulatores ex more Constantium id sine modo strepebant, quod, cum Octavianus Augustus obeliscos duos ab Heliopolitana ciuitate trans-tulisset Aegyptia, quorum unus in Circo Maximo, alter in Campo locatus est Martio, hunc recens aduectum difficultate magnitudinis territus nec contrectare ausus est nec mouere, discant, qui ignorant, ueterem principem translatis aliquibus hunc intactum ideo praeterisse, quod deo Soli speciali munere dedicatus fixusque intra ambitiosi templi delubra, quae contingi non poterant, tamquam apex omnium eminebat. (13) uerum Constantinus id parui dicens, auulsam hanc molem sedibus suis nihilque committere in religionem recte existimans, si ablatum uno templo miraculum Romae sacraret, id est in templo mundi totius, iacere diu perpessus est, dum translationi pararentur utilia. quo conuecto per alueum Nili projectoque Alexandriae, nauis amplitudinis antehac inusitatae aedificata est sub trecentis remigibus agitanda. (14) quibus ita prouisis digressoque uita principe memorato urgens effectus intepuit tandemque sero impositus nauis per maria fluentaque Tibridis uelut pauentis, ne, quod paene ignotus miserat Nilus, ipse parum sub emeatus sui discrimine moenibus alumnis inferret, deferatur in uicum Alexandri tertio lapide ab urbe seiunctum. unde chamulcis inpositus tractusque lenius per Ostiensem portam piscinamque publicam Circo illatus est Maximo. (15) sola post haec restabat erectio, quae uix aut ne uix quidem sperrabatur posse compleri: digestisque ad perpendicularum altis trabibus, ut machinarum cerneret nemus, innectuntur uasti funes et longi ad speciem multipli-cium liciorum caelum densitate nimia subtexentes. quibus colligatus mons ipse effigiatus scriptilibus elementis, paulatimque in arduum per inane protentus, diu pensilis, hominum milibus multis tamquam molendinarias rotantibus metas cauea locatur in media eique sphaera superponitur ahenea aureis lamminis nitens, qua confestim ui ignis diuini contacta ideoque sublata facis imitamen-tum infigitur aereum, itidem auro imbratteatum uelut abundanti flamma can-dentis.

12. Marcell. Chron. 476.2

Odoacar rex Gothorum Romam optinuit. Orestem Odoacer ilico trucidauit. Augustulum filium Orestis Odoacer in Lucullano Campaniae castello exilio poena damnauit. Hesperium Romanae gentis imperium, quod septingentesimo nono

Vrbis conditae anno primus Augustorum Octavianus Augustus tenere coepit, cum hoc Augustulo periit, anno decessorum regni imperatorum quingentesimo uigesimo secundo, Gothorum dehinc regibus Romam tenentibus.

13. Oros. 7.28.1-3

Igitur mortuo, ut dixi, Constantio in Britanniis, Constantinus imperator creatus, primus imperatorum Christianus, excepto Philippo, qui Christianus annis admodum paucissimis ad hoc tantum constitutus fuisse mihi uisus est, ut millesimus Romae annus Christo potius quam idolis dicaretur. (2) a Constantino autem omnes semper Christiani imperatores usque in hodiernum diem creati sunt excepto Iuliano, quem impia, ut aiunt, machinantem exitiabilis uita deseruit. (3) haec est lenta illa paganorum poena sed certa ...

14. Cassiod. Hist. 1.9.1, 5f

Constantinus igitur, dum ad eum solum omne Romanorum pervenisset imperium, edictis publicis usus est, ut orientales subiecti inpavide religionem colerent Christi et diligenter divinitati ministrarent, divinitatem quippe solam eam crederent, quae et revera esset et sufficienter haberet omni tempore potestatem, et quoniam, qui talibus studerent, omnia bona uberrime eis accederent et, quaecumque adversa putarent, cum meliori potius spe fruerentur, qui vero circa deum delinquerent, communiter et seorsum in bellis et in pace omnia eis difficultia provenirent.

<...>

(5) Haec igitur, sicuti dictum est, imperatori placuerunt et lege firmata sunt insegniterque omnia decenti fine completa. Christiani vero tunc omnes Romanorum dignitates amministrabant. Et de cetero cunctis sacrificare negabatur, immolationibusque aut divinationibus non erat locus, sed nec idola dedicare aut celebritates paganas agere iam licebat. (6) Plura vero etiam per civitates gentium de antiqua consuetudine mutabantur. Ab illo denique tempore apud Aegyptios nequaquam secundum priores sollemnitates in paganorum templa cubitus, sed in ecclesias magis offertur, quo significatur crementum aquae Niliae. Apud Romanos autem tunc primum monomachorum spectacula sunt remota. Apud Phoenicas vero, qui in Libano et Heliopoli commorantur, fas ultrius non fuit virgines fornicari, antequam legitimis iungerentur viris, nempe post turpitudinem experimenti primi nefandae permixtionis.